

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiæ, 1766**

LIB. XII. TIT. III. De In Litem Jurando.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9044**

nitum. At si nova postea reperiantur instrumenta, iuxta hæc causa est restitutionis in integrum, atque hinc rescisso negotio ex integro victus causam agere potest. *L. 31. h. Bocer. class. 6. D. 18. th. 82.*

*DISSENTIT Laut. p. 187, ibique Carpz. p. 1. c. 15. def. 5. & Proc. t. 12. a. 2. n. 104.*

*EXCIPE* si ex falso instrumento juratum sit in supplementum, tunc enim ipso jure civili sine restitutione retractatur. *L. p. C. h.*

Equidem *hodieque* multum interest: Si enim restituitur, finitur actio quadriennio: Si ipso jure retractatur, finitur 30. annis.

*NOT.* In juramento judiciali non datur restitutio, nec rescinditur negotium ob instrumenta noviter reperta. *d. l. 51. in fin.* at tum tenetur de perjurio,

*Qv. XLVIII. An parentes & patroni a juramento calumnie generali immunes sint?*

*Laut. pag. 188. verb. Parentes & Patroni.* **A**FFIRMATUR: *sup. q.* Nam sive in genere sive in specie patrem calumnie insinulaveris, injuria erit. *Berger. h. q. 4.*

*OBJ. L. 2. §. 4. C. de Jurej. propt. cal. & Nov. 41. c. fin. pr.* Ubi in genere dicitur omnes jurare debere.

*RESP.* Nulla regula adeo firma est, quæ non habeat suas exceptiones. *Conf. sup. q.*

LIB. XII. TIT. III.

DE

## IN LITEM JURANDO.

*Qv. I. An juramentum in litem deferatur domino litis?*

*Laut. pag. 191. verb. actori qui litis &c.* **N**EGATUR: Sed domino negotii ejus de quo lis est, quia per hoc juramentum æstimatur affectus ejus, qui rem amittit, adeoque ad quem negotii utilitas pertinet: Unde non sufficit aliquem esse dominum litis, nec necesse quoque id est.

*NOT.* Triplex circa idem negotium dominium concurrere posse, (1) litis, (2) negotii seu actionis de qua lis est, (3) rei ipsius. Uti quando ex emto res petitur a venditore per procuratorem, *venditor*

tor est dominus rei, emtor actionis emti, seu negotii de quo agitur, procurator vero est dominus litis.

Qv. II. *An matri quoque deferatur hoc juramentum?*

**N**EGATUR. Nisi tutrix sit. *L. 4. pr. h.* Nam tutores sunt in-  
star domini rei, quin veri domini negotii, ejusque autores, dum  
integrant personam pupilli, indeque jurant quasi de suæ rei affe-  
ctu: Et hoc modo mater quoque jurare poterit. *L. 4. pr. ff. l. 1.*  
*C. h.* At non tutrix non potest, quia nullo modo domina est, &  
sic ejus affectus non attenditur: *d. l. 4. Conf. Laut. pag. 191. ibique*  
*late Dd.*

Qv. III. *An hodie procurator cum speciali mandato in  
litem juret?*

**N**EGATUR: Nec olim id potuit, nec hodie potest: Non enim  
de suo affectu jurare poterit, quia de eo non quæritur, nec de  
affectu domini, de quo jurare non potest, & quem nescit: Vid. *l. 22.*  
*l. 23. C. Proc. arg. l. 7. h.* *Laut. pag. 192. verb. Hodie ta-  
men per procura-  
rem &c.*

Nec OBSTAT autoritas *Gailii, Bussi &c.* apud *Lauterbachium*  
*pag. 192. pr.*

**R**ESP. Non dicunt procuratorem de suo affectu jurare posse, sed  
per procuratorem in animam principalis id fieri posse, nam pars per  
procuratorem jurare & hodie potest & olim potuit.

Qv. IV. *In quibus rebus juramentum in litem  
deferatur?*

**R**ESP. Quoties quis id, quod suum est, vel fuit, & sine justa  
causa ejus esse desit, quocumque remedio repetit, idve dolo vel  
contumacia non redditur. *Laut. ibid. verb. de  
omni re  
&c.*

Hujus enim juramenti duplex ratio est: (1) Quia neino alte-  
rius facto & dolo cogi potest rem suam vendere justo pretio. *l. 70.*  
*R. V. l. 9. l. 10. Rer. am.* Atqui id fieret, si solum pretium cogere-  
tur recipere, seu id quod interest, quæ ratio cessat in casu, si res  
ejus nunquam fuit; sed & (2) si res ejus nunquam fuit, nec ju-  
stum ejus affectum habere poterit, nam justus in rem alienam affectus  
non est, sed tantum in nostram: pro nostra autem habetur, quæ sine  
justa



justa causa ex alterius dolo nostra esse desit, quia paria sunt non desuisse, & jure non desuisse.

Atque hinc apparet *Lauterbachium* male asserere p. 192. (1) In *tutela actione* jurari in litem: Nam verum hoc non est, nisi pupillus rem suam petat, vel repetat. *L. 8. C. h. l. 7. ff. adm. tut.* (2) Male quoque id asserit in *actione negotiorum gestorum*, nam si, verbi gratia, gestor pecuniam ex administratione penes se habet, eaque rem meo nomine emit, ratione hujus rei non juratur in litem, quia nunquam mea fuit, adeoque nec justum ejus habere possum affectum: Pessime quoque (3) putat in *emtionem* jurari in litem. Eunt enim nunquam rem suam petit, sed rem de novo comparat, adeoque nullus quoque ejus poterit esse affectus. Atque ita *Borch. Duaren. Hilig. Donell. Bach. &c.* sentiunt apud *Lauterbachium* p. 192. ubi dissentiant plurimi Doctores.

Qv. V. *An hodie in negotiis stricti juris in litem juretur?*

*Laut. pag. 193. verb. Haec differentia inter actiones bonae fidei & stricti juris.* Ita putant quidam Doctores, quia differentia negotiorum b. f. & stricti juris sublata videtur. Vide Dd. allegatos a *Lauterb. p. 193.* At male; nam hodieque haec natura judiciorum stricti juris manet. Nam negotia stricti juris dicuntur, quoties quis agit ad consequendum id, quod antea agentis non fuit. Vid. *tit. de oblig. q. 13.* adeoque ubi quis petit rem alienam, cujus affectus esse & juramento firmari non potest. *d. q. 13. fere in fine.* Sed & alibi jam demonstravi differentiam inter negotia bonae fidei & stricti juris hodieque in aliis negotiis adhuc obtinere. Nam *supra tit. dol. mal. q. 2.* probavi dolum ex contractibus stricti juris hodieque actione de dolo vindicari; ex contractibus bonae fidei vero admissum vitare totum negotium: Sic porro, si pactum est, ut plus restituatur quam mutuo datum est, id nec hodie valet: uti tribus praedictis firmat *Phil. Uf. pr. Inst. L. 3. Eccl. 38.* Quin nec jure canon. sublatam esse hanc differentiam evincit *Treutl. V. 1. D. 19. th. 2. lit. e. ibique Dd. & Bach. Conf. Brunn. ad l. 5. n. 9. h.*

In dubia ergo hac praxi insistendum est juri civili, quicquid dissentiant Doctores. Vid. *Stryk. U. M. h. §. 6.*

Qv.



Qv. VI. Quomodo differat juramentum in litem extraordinarium a  
 juramento in litem ordinario sive affectionis?

RESP. In eo; quod hoc pœna doli, Laut. pag. 192. lit. P. illud ve-  
 ro loco rei sit, Laut. pag. 194. lit. c. Unde (1) illud præstatur  
 etiam ob culpam levem, quin levissimam; quia loco rei est, quæ ex  
 culpa non restituitur. (2) Estimatur ibi res, cujus quantitas appa-  
 ret; at in posteriori affectus, quia quantitas non apparet: (3) Illud  
 locum habet etiam contra hæredes, quia non est pœna doli. (4) Lo-  
 cum habet etiam in stricti juris judiciis, quia rei, quæ venit in judi-  
 cium, pretium est. (5) Locum habet etiam in contrariis, neque enim  
 hic requiritur, ut res nostra fuerit, ut in præcedenti, sed quia id quod  
 interest iis vindicatur, id quoque æstimari debet, quod fit hoc jura-  
 mento; Unde (6) in omnibus negotiis etiam emto, tutela &c. ob-  
 tinet; l. 4. C. act. emt. secus ac in juramento in litem affectionis.  
 Vid. quæst. 4.

## LIB. XII. TIT. IV.

DE

CONDICTIONE CAUSA DA-  
 TA CAUSA NON SECUTA.

Qv. I. Quotupliciter conditio in jure sumatur?

RESP. (1) Generalissime pro omni repetitione; Condicere eni-  
 in jure est rem judicio repetere, a veteri judiciorum ritu, quo  
 partes ipsæ diem sibi condicebant, id est simul dicebant, quo in judicio  
 afforent juris experiundi causa. Brisson. de verb. sign. l. 3. voc. condi-  
 cere. B. Par. in disput. de J. pœn. S. 5. §. 1. (2) Generaliter, omnes  
 actiones personales ea voce intelliguntur, a formula condicendi: §. 15.  
 Inst. tit. de Act. Nam postquam actiones reales a peculiari ritu vin-  
 dicationes dictæ sunt, nomen condictionis proprium fuit personalium,  
 Dn. Cocceji d. S. 5. §. 1. (3) Specialiter autem conditiones dicuntur  
 illæ actiones personales, quibus agitur dari, i. e. dominium transferri  
 oportere. d. §. 15. Vid. q. seq.

Cocce. J. C. P. I.

N n n n

NOT.

